



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini  
Carmina Selecta**

**Santeul, Jean de**

**[S.I.], 1679**

In Praematurum Pomponii Harlaei Obitum Naenia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13401**



IN PRÆMATORUM  
POMPONII  
HARLÆI  
OBITUM  
NÆNNIA.



Iccine dira lues , Pueris fatale vene-  
num ,  
Et Juvenes petis , & fatis properantibus  
urges ?

Credideram nostros dum Juppiter invidet annos ,  
Mille modis semel acceptam perrumpere vitam ,  
Illum & posse graves terris immittere morbos ;  
Haud sine lege tamen morbis fas esse per omnes  
Graffari ætates , atque omnia vertere letho .  
Non uno morimur , fato neque vivimus uno .  
Ergo quid immeritum properato funere Parcae

F iij

Eripitis juvenem, qui pubescentibus annis  
 Jam durum calcabat iter, magnoque Suorum  
 Nomine succensus, pulcro & virtutis amore,  
 Ibat quo virtus, quo gloria & æmula laudum  
 Ambitio, dudum quo maxima fata vocabant?  
 Nam secum meditans præclaræ insignia gentis,  
 Tot BELLEVREADAS Franci capita alta Senatus;  
 HARLÆOSQUE duces bello, nunc pace togatos,  
 Qua poterat patrios quondam affectabat honores.  
 Et memini, nuper toto admirante Senatu  
 Sorbonicos inter patres responsa ferebat  
 Sacrorum reserans abstrusa oracula vatim.  
 Hic aderam haud vanus spectator, & omnia verba  
 Plaudentum, & lætos fremitus prona aure bibebam:  
 Explorabam animos, famaque fruebar Amici,  
 Et dotes animi egregias, sensusque profundos  
 Flumina verborum, majestatemque loquentis  
 Mirabar, supra ætatem viresque juventæ.  
 Quis mihi tum sensus! quo animo? qua mente ferebar?  
 Attonitus gravitate rei, mecum ipse volutans  
<sup>quondam</sup> Quis foret ille! omnis quem curia Patrum,  
 Quem LAMONIADES, quem BELLEVRAEUS, & ipsi  
 Pontifices merito insignem super astra ferebant.  
 Dicebam tacitus, quos non implebit honores!

Quos non & titulos! quanto se nomine tollet  
 Hic juvenis! video, si quid recte auguror, omnes  
 Æ quantem titulos & grandia facta parentum,  
 Illius & capiti pendentes undique Mitras.  
 Hunc Rex, hunc populus, studiis æqualibus omnes,  
 Hunc Sorbona etiam, fors poscet & æmula Roma.  
 Hunc juvenem eripitis, crudelia numina, Parcæ.



AD CLARISSIMUM VIRUM  
 JAC. AUG. PERROTUM.

EPIGRAMMA.

**Q**UID, PERROTE, graves objurgas durius annos;  
 Unde tibi solers usus, & unde sapis?  
 Scilicet immemores fugere è pectore Divæ,  
 Quarum adoles sacrâ thurea dona focis.  
 Quæ te Castaliæ juvenem afflavâre Sorores,  
 Hæ Te, nec canum deseruâre senem.